

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 1842

**Auteur(s) :** Guillaume III Ptolomeus, Avranches (évêque)

**Auteur(s) :** Avranches (chapitre cathédral)

**Bénéficiaire(s) :** La Lucerne-d'Outremer, Sainte-Trinité de La Lucerne (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1207

**Lieu d'émission :** Avranches

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

L'évêque Guillaume et le chapitre cathédral d'Avranches notifient la convention faite entre eux et l'abbaye de La Lucerne sur l'utilité des prébendes vacantes jadis donnée à celle-ci par l'évêque Achard. La Lucerne en rend en tant que donation gratuite la moitié à l'église cathédrale d'Avranches pour la réparation et la conservation de sa fabrique.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Abrincensis, n° XVII, col. 115-116.

Texte établi d'après a

Omnibus sanctæ matris ecclesiæ filiis, tam præsentibus quam futuris, Willelmus, Dei gratia episcopus, et capitulum Abrincense, salutem in auctore salutis. Ad vestram volumus pervenire notitiam, quod bonæ memoriæ Achardus episcopus de communi assensu capituli Abrincensis, abbatii et conventui de Lucerna, divinæ pietatis intuitu fructus præbendarum in ecclesia nostra vacantium anno integro in puram et perpetuam eleemosynam assignavit, sicut in charta eorum quam vidimus plenius continetur sigillo ipsius Achardi et capituli roborata. Quos cum ex concessione multo tempore percepissent, ecclesiæ nostræ Abrincensis indigentiam attendentes, cujus fabrica ruinam multiplicem minabatur, ad reparationem et conservationem ejusdem fabricæ nobis medietatem prædictorum fructuum donatione gratuita contulerunt, per manum eorumdem fideliter recipiendam. Nos autem eis præstito corporaliter sacramento, promisimus, quod bona præbendarum canonicorum nostrorum ad communem utilitatem eorum et nostram integræ curabimus conservare, indemnitati eorum sicut et nostræ propriæ bona fide consulentes. Statuimus etiam ut nostri pro tempore successores, tam episcopi quam canonici, in ingressu suo, sacramento consimili, ipsis et eorum successoribus obligentur. Præterea concessimus eis in memoriam præscriptæ largitionis eorum, ut quia ipsi pro beneficio ab ecclesia nostra prius eis collato canonicis nostris decedentibus exhibent servitium in extremis, nos auditio cujuslibet eorum et successorum suorum obitu, servitium pro eo sicut pro canonico nostro eodem die solemniter perpetuo celebremus. Si vero huic constitutioni nostræ quilibet successores nostri modoquolibet contrairent in præjudicium ecclesiæ de Lucerna aliquid atemptantes, sæpe dicti abbas et canonici de Lucerna ad integrum perceptionem fructuum præbendarum absque contradictione aliqua secundum tenorem chartarum et privilegiorum suorum libere revertantur. Ut autem hæc omnia perpetua

firmitate consistant, præsentem paginam sigillorum nostrorum munimine duximus roborandam. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini 1207, apud Abrincas, præsentibus Johanne Dolensi episcopo, et magistro Hugone Constantiensi archidiacono, qui ad petitionem nostram hanc eandem chartam sigillorum suorum testimonio munierunt.